Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ordinar.
1693. 14 Martii.

Kuczankiewicz Michaelis: Honor eruditus vere florescens, novis florum primitiis adornatus.

HONOR
ERVDITO VERE FLORESCENS.
Novis florum primitijs
ADORNATVS.
Laureatæ Virtuti,
VII. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatorũ
DVM
In Alma Vniversitate Cracoviensi,
PER
Clarissimum & Admodum Reuerendum Dominum,
D. M. BENEDICTVM KAWALCZEWSKI,
Philosophiæ Doctorem, & Professorem, Collegam Minorem, SS OMNIVM Crac: Canonicum.
IN
Magna Illustrium Hospitum & Academici Senatus Corona
Artium & Philosophiæ Baccalaurei,
RITV SOLENNI
RENVNTIARENTVR.
Amoris & Gratulationis ergò,
A
MICHAELE KVCZAŃKOWICZ Leopol.
Eiusdem Laureæ Candidato.
Panegyrico Applausu
DEDICATVS.
Anno Domini 1693. Die 14. Martij.

CRACOVIÆ Typis Nicolai Alexandri Schedel S.R.M. Ord: Typ:

In Stemma
INCLYTÆ VRBIS LEOPOLIENSIS.



Difficilis virtutis apex, per maxima tantum
  Quæritur. en fortis monstrat id ipse LEO.
Montibus excelsis radians Aurora refulget
  Nam clarum summâ nomen in auge nitet.
Viribus ergo potens Atlas LEO, lumen amicum
  Auroræ gestet: qui juga trina tenet.

NO.

NOBILIBVS,
CLARISSIMIS SPECTABILIBVS
&
Consultissimis Viris ac Dominis,
D. PROCONSULI, CONSULIBUS.
Totiq; Inclyto Leopoliensi
SENATVI.
RVSSIÆ METROPOLEOS
Dominis & Patronis Amplissimis.

IN *splendido & pretioso Collium Vestrorum Ternione, prima sibi erudito Vere florescens Honor, auspicatur initia.* Nobiles, Clarissimi, & Spectabiles Domini. *Reperit, in Vestri Nominis magnitudine æmulã Trino vertici sublimitatem, cumq; nouo, semper virtutum, bonorumq; Vere floreat; etiam Palladijs Honor noster vernans primitijs, in Vestris Montibus, æquum sibi duxit reuirescere. Quippe humi serpere nescius Honor, alta; semper*

per

per ambit fastigia, vt tantò conspectior emineat, quantò, magis ingentibus ausis, & architecto honore paratus est. & vel ideo, reuirescens primo Vere Honor, Montium Vestrorum petit apicem, ex quo sola Calotenus prouecta, gloriæ Virtutumq́; Vestrarum, prominent ornamenta. nec spe frustratur, in eo singulariter se posse eminere, si in Leoninis Montibus augusto Honori Vestro, voueatur. Neq; verò ad prouectius, tot honorum, gestorumq́; magnitudine culmen, inaccessum abhorret cacumen, exigua vernantis ingenij facultas; certò autumans ad Leoburgi iuga, aduentanti Honori, facilem patere aditum, vtpote quem inquilinum, explicato complexi pectore, maximo Vestri Nominis auxistis incremento. Nec casum ab eminentiori, sibi pollicetur apice; quemcunq́; equidem reclinem hic Ternio excipit, vt remotiorem à casu, ita gloriæ facit propiorem. Quinimo numerosius, autumat sibi augmentum, vbi in tergemino apice, ferax Eruditæ Floræ succrescit messis. Triplex hic in Poloniæ eminet campo, quippe semel, non licet esse illustrem, multiplex cacumen, & decus geminat & splendorem: Scilicet illustre hoc fastigium, fulgentis Orbe toto famæ, auroram prætendens, Aquilæ Polonæ gloriam & præsidium, Otthomanicæ potentiæ obicem formidandum, ipsis triumphis Theatrum explicat, serenum quidem Orbi Polono, sed Bisanthinæ Cynthiæ occasum portendit. Ad hanc nempe fortunatiorē scillam, Barbaræ vix non semper, allisæ vires; in hoc prouectiori Colle, vix vlla fuit Bellonæ procella, in qua tumulum sibi non senserit Oriens; Hoc feliciori magnete, toties iam de manibus hostium extortum ferrum est. Nimirum, non semel tumescebat ingruentium periculorum altum, sed altior semper prominuit animi Vestri magnitudo, rapidus cladium crescebat vortex, sed stabile semper Vestrûm consilium aderat, serpebat toties fera casuum immanitas, sed constantior in Generoso Vestrûm pectore viguit probitas, ad extremùm metus, cladesq; undequaq; imminebant; Vos id totum vnanimi virium Vestrarum concordiâ felicissimè repressistis. Pullulabant toties, contra nostri exitium Vcrainensis Hydræ capita, Vos Herculeis viribus, toties eadem præcidistis. Nihil propius fuit, vt districtis proprijs viribus, præda Hostium fieremus, nisi

nisi pro aureo Vellere Libertatis Polonæ, non peruigil Draco, sed Vester LEO *excubasset. Hinc non immeritò belli pacisq; decoribus prouecto, Trino fastigio, suos etiam vernans Honor addit flores, in quo ceu in nouo Olympo, immarcescibiles semper Lechicæ succreuêre laureæ. Nec sanè ab hoc Dijs sacrato Cacumine, erudita etiam exulat Minerua, quinimo sublimitati assueta, pro Helicone, Vestrũ cõscendere audet Ternionem. Repetant iam hîc vt placet pẽsiles Semiramidis Hortos fabulæ, repetant ficticios quos inibi plantauerant flores, pascant ingenia & obtutus, veriores hodie Pensiles Hortos, in Montium Vestrorum maiestate, vernans effecit Honor. Cultricem Horti Auroram, vana non effingant commenta, Illustriorem, vel in Præside Collis sidere, doctior hac nacta est area. Hac quippe magistrâ, felicius victrices Lechiæ pullularunt palmæ, Hosti Cupressus, quia pernicies: Hoc diei Præside lumine, Triumphorum Soles Patria, noctes Cladium, vel ipse Oriens coactus est numerare. Hac radiante adextremũ sereniùs luce, non semel ingruentes Saporouienses tenebriones cladis tenebras subiêre. Non inuideo tam hîc, vigiles, suo pro Cæsare curas Palatio, fortunatiores, hæc vernans Pallas, in Gentilitio Vestro* LEONE, *suspexit excubias, Hoc certè vigilias agẽte, ne in Hostiles raptaremur manubias effectum est. Quippe hîc excubans Vester* LEO, *triplex premit Montium iugum, quò noua Gigantum revocaturus prælia, Bisthoniam stygem montibus obruat fortunatiùs: subsistit elatior, vt vel ab ipso situ, documẽtum Lechicus Orbis capiat se Moschouiticos Tauros, Canesq; insequi Orientis, simulq; in Patriæ velociorem Vsus. vt pote Quo nec Athalanta promptior, nec Hippomenes celerior. Enimuero ad hanc gloriæ Vestræ meridiem, erudito Vere succrescens honor, æstum minimè reformidat, quem etiam in auge splendorum Vestrorum, matutinâ temperie, aut natiua Vestrâ fouet aurora, aut influxum indulget gratiosum. Hoc igitur, & excultam, & prouectam, Nominis Vestri splendore vernantis Honoris Floram, ad Motium Vestrorum radicem deuenirè patiamini. Fastigium auiti decoris, quod fama in publicum prouexit, aut etiam Vestro federatæ Nomini magnitudo, non attingit, quippe excessit decus, &*

omne

omne incrementum: pronâ igitur suplet veneratione, quidquid sublimiores conatus destituit, in demisso subsistit, vt vel sub umbra, Montium Vestrorum Tutelari, securius existat; cultu proniori explet in imo, quidquid pro dignitate ambire nequyt in sublimi. *Vos verò* Nobiles, Clarissimi, & Spectabiles Domini, *Vestro Nomini procumbenti vernantiori Honori, aut Gentilitium donate fastigium, & eminentior Vestro comparebit Nomini, aut præsidem collium submittite auroram, & natiuis illius ornatior fulgoribus, semper Vestro Nomini excrescet in lauream. Quam ego, virescenti semper gratiæ Vestræ, ad triumphalem Vestrum repono Ternionem, vouendo Vobis, vel ab his floribus Ver immortalis gloriæ auiternum.*

Nobilium, Clarissimarum, ac Spectabilium
Dominationum Vestrarum,

Deditissimus Cliens.

MICHAEL KVCZANKOWICZ Leopol:
Ejusdem Laureæ Candidatus.

A

D. JOANNI CANTIO,

RegniPoloniæ, & Almæ Vniversitatis Crac:

TVTELARI

In Argumentum Deuotißimi cultus

Lilium innocentiæ.

CVM LEMMATE

Mihi pretium candor.

GEmma terrarum, faciem, niuoso
Dum suam pratis reuehit, cubili
Flora; iam vernans Zephyri quadrigis
Regna pererrat.
Fertilis tellus subito virenti
Fluctuat culmo: spatiosa laudis
Crescit vbertas: decorisq; pingunt
Arua colores,
Gemmat exculto Peripatus horto,
Hinnc virent docti revirentq; flores,
Et tument cellæ studio Sophorum
Nectare lauri
Dives, ast vernis folijs arena hæc
Non rudes crescit, renitens ad vsus,
Hic viret quidquid, Tua vota poscit
Cedit honori

Dive Cælestis Superûm vireti
Lilium candens, Pater Alme CANTI
Quippe quod Pæstum sapit omne cura
Id Tua poscit,

Tu sacri nobis Zephirus favoris,
Phosphorus soles bene gratiarum
Invehens terris: Tibi docta Mater
Lilia sacrat.

Iam Polo semper radians lutosæ
Dona telluris renuis: Tibi amplum
Candor illæsus pretium: tributa.
Candida sume.

Hoc enim donum tribui Patrono
Tam sacro debet: nive liliorum
Nam quod effulget, caput eruditum
Vitta coronat.

Inde nos pacis redimita sertis
Seclâ spondemus: nitidosq; soles.
Candido, cùm Te, glomerata stipent
Lilia vallo.

Clarissimis, Excellentissimis, & Admodũ Reverendis Dñis.

D.D. EXAMINATORIBVS.

Clarißimo & Admodum Reverendo Domino.

D.M. ANDREÆ WAWRZYNKOWIC.

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Regio
& Cursûs Vladislaviani Prof. ac interea Philosop. Facultatis,
D E C A N O.

Clarißimo & Admodũm Reverendo Domino.

D. M. CHRISTOPHORO K R Z Y K A W S K I.

Collegæ Majori, Regio Professori, Sãdecẽsi
Cancellario, Ecclesiæ Coleg. S. ANNÆ Canonico.

Clarißimo & Admodùm Reverendo Domino:

D. M. ALBERTO IODŁOWSKI.

Philosophiæ Doctori, & Professori, Collegæ Minori, Canonico SS. Omnium, Curato Dziecanoviensi.

In argumentum debitæ gratitudinis & venerationis.

Flos Amaranthus, diuturno tempore virescens.

CVM LEMMATE.

Languescere inscius vnquàm.

EXcelsa rerum dignaq; maximo
Honore, subsunt viribus anxijs
Laboriosæ plena curæ
Semita, ducit ad alta Pindi.
Amara gustet, dulcia tangere
Felix reposcit qui thymiamata
Angusta terrarum triumphat,
Cui solidi sapiunt labores.
Venit triumphus semper adoreæ
Voto repertus, quem satis improbus
Praivit, anxius laborum
Vota ferens cuneus minister.
Semper virescit, dulcis amabili
Procreta laurus, maxima tædio
Injuriosos calcat æstus,
Et rigidas Aquilonis auras.
Illustre Vobis nomen ab aureo
Labore venit: qui sapientiæ
Præcelsa scrutati. Togatæ.
Omne decus meruistis: inde
Sudata Virtus quàm valuit Tua
WAWRZYNKOWIC, quæ dulce decus Tibi
Nomenq; Doctorum perenne
Alma dedit meritis honores.
Altè recondit visceribus Parens
Natura quidquid. Tu satis explicas,
Hinc purpuratus jam capeßis
Magna Tuæ documenta famæ.
Nunquàm silebit Musa negotium

Bialense, felix quod regimen Tuum
Cum laude summa literarum
Auspicijs tenuit secundis.
Viuet, perennis laudis adorea
Semper virescens: quod Tibi simbolum
Insigne spondet, quando floret
Perpetuis amaranthus hortis.
Portendat altum, syderis aurei
Cælum: minaces ac dubios satis
Casus, resoluis, Tu KRZYKAWSKI
Mente Tuâ facilis, stupendâ.
Si Rostra iactent eloquij viros
Plaususq; fundent ora per omnium
Et Tu Pericles gloriosus
Ore tonâs meliore suadâ.
Tu literatos Palladis edoces
Magnis labores, vincere passibus,
Pulcher trahit quem laudis actus,
Cûiq; placet sapiens Mathesis.
Non parua surgit, portio gloriæ
Tuæ IODŁOWSKI, *Iustinianeum*
Nam Consus in Te dogma cernens
Ecce nouos Tibi fert honores.
In Te relucet, vis sapientiæ
Themisq; poscit Te Canonum Sacra
Interpretem, dum clarus omne
Ingenio superas sagaci
Diuinæ, sacræ, rostra scientiæ
Testantur in Te nectar eburneum
Quod per Cathedras dum refundis
Viue satis memorandus æuo.
Ergo virentem sumite flosculum
Non cuius vnquam languet ab invido
Austro vigor: Sed vernat ipsis
Inmedijs Boreæ procellis,
Corona Vestri Nominis inclyti
Semper virescens, est vegetus labor
Designet inuictum proinde
Ipse rubens amaranthus ostro.
Cotem dedistis mentibus optimis
Florere lauro nostraq; tempora
Fecistis, ipsi sic virentes,
Purpureas legitote palmas.

HONOR
ERVDITO VERE FLORESCENS.

I. V. D. STANISLAO WOSINSKI Crac.
Flos Corona Imperialis dictus.

CVM LEMMATE.
Sertum ipsa mihi viresco.

MVsas amantis, delicium Craci
Et eruditæ pignus adoreæ
Præstans WOSINSKI quàm stupendo
Plectra Tuo resonant cothurno
Apex honoris non alius Tibi,
Adhæsit vnquàm. Teq; volubilis
Non aura fortunæ, perennem
Nomine conspicuo probauit.
Innatus at Te, candor ad optima
Deduxit, amplis sumpta Parentibus.
Origo, Te stridente pennâ
Cum Volucri Cracidos Togato
Donavit Orbi, dat Pater arduos
Cursus honorum, clarus & inclytæ
Amor Parentis, ac Senatûs
Grande decus, columen Galeni.
Quidquid profusæ suada venustior
Complexa laudis, vel sapientia
Quidquid decorum fert, sagaci
Hoc animo genioq; prensas.
Ergò coronam iam sapientiæ
Capesse felix, sic dabis inclytus
Victoriæ festos triumphos,
Palladios decorando flores.

II. V. D. IOANNI GLVCHOWSKI Crac.
Hyacynthus cælestem in se colorem referens.

CVM LEMMATE.
Mihi decus surgit ab alto.

Candidi magnum decus, & corona
Ingenî, semper petit innocentes
Fortium dextras: Hyacinthus ornat,
Pectora sacra.

Diva virtutis decorisq; Musa,
Haud solet crudas redimere frontes,
Laureis doctis: quibus eruditos
Fert Hyacinthos.

Hoc Tibi debet studijs amica
Innocens Pallas, genium probatum
Dùm Tuum uidit, beat ecce florum
Laudis honore.

Te GŁUCHOWSKI: quem sapidus laborum
Gustus, enixo studio refecit,
Et fouent magno, pretij decore
Munera Phœbi.

Auget hos in Te, probitatis vsus
Cynthyæ sidus triplicis coruscum,
Luce BALICKI radians Togatâ
Vertice Pindi.

A Tuo, blandum fluit ore nectar
Lilia, & pulchras loqueris beatus
Dùm rosas, ergò pretium Mineruæ
Carpe Hyacinthos.

V. V. D. IOANNI MARCINKOWSKI.

Heliotropium solem subsequens.

CVM LEMMATE.

Sublimia sequor.

AD alta ferri culmina gloriæ
Per vasta rerum tædia maximo
Labore, concessum juventæ,
Et meritis iter edomandum.

Cælo dicatas Herculeus labor,
Non ante palmas, promeruit: graue
Donec laborasset per ævum
Monstra stygis duodena tollens.

O quàm beatus, quem vegetus vocat
Virtutis ardor; cuî sapientia
Prælucet, ad laurus honorum
Quem genius generosus ornat.

Krupec-

Krupeccius Te, Consus in omnibus
Vir laudis omnes exsuperans modos,
Ad summa dirigit laborum,
Quos superas meliore passu,
Nodos resolvis, quos Sophus implicat
Ab ore dulci Tullius emines,
Sic sole Nominis refulgens,
Tu comitaberis omne lumen.

V. V. D. ANDREÆ CZVPLINSKI.

Rosa munita spinis.

CVM LEMMATE.

In asperitate nitor.

QVisquis Pegasidum culmina cogitat,
Phæbeosq; lares Cecropias domos,
Non paruis opus est sæpe laboribus
Currat per juga Caucasi.
Vix vnquàm vacuis conspicuus venit
Pulcher laudis honos, sed manibus sacris
Hic splendor renitet; laurea nominis
Crescit parta laboribus.
Czuplinski *celebris non alius Tibi,*
Ad summum gradus est, quàm rigidus labor
Et docto residens pectore gratia,
Fulgens per Cathedras Sophum.
Mentem nempe Tuam, nobilis ingeni
Circumdat series; non modo passibus
Augustis, animo sed pius erigis,
Quidquid Stoa habet inclytum,
Spinarum rabies, non Tibi roscidos
Flores detinuit: sed rosa laureis
Est innexa Tuis, quæ decorat Tuæ
Frontis culmen eburneæ.

VI. V. D. MICHAELI KOCHYNSKI

Caryophyllum diversis coloribus adornatū.

CVM LEMMATE.

In quosq; viresco.

 Palla-

PAllade censeri dignus quicunq; peroptat
Doctas prendere laureas
Hic sudare prius frontem ni ritè laborum
Discat: spes alet irritas
Non caryophyllo veniet depicta colore
Pulchro purpura: quin prius
Culta labore suo sit tellus, fusa molestis
Cingunt tempora laureæ.
Solicitis quærens Studijs Tu digna KOCHYNSKI
Virtutis cape præmia.
Calcasti spinis, iter acribus, vndiq; durum
Curas difficiles agens,
Per prærupta viam felix tardantia cursum
Explesti, bene par Tibi,
Ergò Tuam meritò gestas iam fronte coronam,
Quam virtus meruit proba.
Spes, dabis invictus magnas, tu forte Stagyræ
Adsit, si patiens labor.
Vt Caryophyllo varius color est. honor omnis
Te semper comitabitur.

VII. V. D. MATTHIÆ PAWOŁOWICZ:

Heliocrysos ad solem sua diducens folia

CVM LEMMATE.

Lumine Cresco.

SPlendores solis, tenebris ambire, serenos
Contendit. quisquis nitidæ virtutis honores
Post vmbrosa locat. nimirum sola latenti
Viscere, fert pretium tellus. solumq; marino
Gurgite circumdat gemmas, ventosa potestas.
Virtutum sed grande decus, latebrosa recusat
Antra. nec ingentes animi tenuêre remoti
Claustra loci. rutilo virtus nam lumine crescit.
Sed Tibi PAWOŁOWICZ *quod conuenientius addi*
Vectigal potuit? nam Te Lucina serena
In teneris comitem lucis monstrauit amœnum.
Vix Te ferre virum capit maturior ætas
Nil nisi maturum genio, vitaq; reuoluis,
Virtutum radijs clarus. sed lumina doctum
Vt majora feras. animo passuq; calenti
Ad Craciam properas Musam; sub lumine tanto

Nil

Nil non luce geris dignum, ex hinc plurima laudum
Ornamenta tenes. oris linguaq; voluptas,
Depluit in Cathedras, mentis fulgore sagaci
Nubila depellis Logicæ caliginis atra.
Hac igitur decorat florâ, te rite Minerua
Nam tibi non modico virtus cum lumine crescit.

III. V. D. MICHAELI KVCZANKOWICZ.
Primæ Laureæ Candidato Authori Operis.
STANISLAVS WOSINSKI
Eiusdem Laureæ Candidatus in vim fraterni affectûs offert.
Thymum.
CVM LEMMATE
Surgunt hîc mellea dona.

THymi fragrantis, profuse portio,
Hîc Hybla sudet nectare gloriæ
Sat dulcis, hinc sumat Camenæ
Qui varias peragrauit herbas.
Pandant Hymetto Pegasides sacræ,
Plenis fluentis, elogium Tuj
KVCZANKOWICZ, dulcioribus Te
Ambrosijs animo refundant.
Dulcis fuisti ceu apis Attica,
Dilecta Musis cum viridaria,
Floresq; carpendo suaues
Dulce Decus Cytharæ tulisti.
Auget Coronam flos Tibi deditus
Thymo hunc adorna, sic pretium feres
Hic laureæ decor Togatæ
Cúm Tibi mellea dona surgent.

III. V. D. MICHAELI KVCZANKOWICZ.
Primæ Laureæ Candidato Authori Operis.
In vim mutui affectûs & gratulatory applausûs offert
IOANNES GLVCHOWSKI
Ejusdem Laureæ Candidatus.
Eximiam Narcissi floris Venustatem.
CVM LEMMATE
Pretium omne facundia vincit.

NOn est celsior eloquî
Nec majus pretium quoq;
Tolli, quàm super aureas
Gazas, Regnaq; & Indiæ
Amnes, Vincere gemmeos
Auri nam cumulos graues,
Longè vicit Isocrates.
Vernat flos cui dulcior
Fandi gratia; nec quoq;
Censeri pretio pari, ac
Æquo vis potuit Tui
Victrix suada potentior.
Musis chare KVCZANKOWICZ
Suauis si Tibi nectaris
Hæc dulcedo sapit Latî;
Si præstó est animus tibi
Doctas vincere celsiús
Mentes, suada tibi fauet
Mustis Cecropijs fluens.
Pulchras ingenii tui
Dotes, hæc pretiosior
Auro, gloria prouehet,
Si regnet Cathedralibus
Sellis eloquium tuum,
Dulci Nestore dulcius.
Narcisus tibi candidus
Quod spondet niue purior
Elos, vt candida sæcula,
Cum cætu Charitum tuus,
Viuat, candor eburneus.

Permißu Magnifici Perillustris & Admodum Reuerẽdi Dñi

RECTORIS.